

mus fuerunt extraordinariæ. Sed brevi tempore lacrymas illis Deus fecit exsiccare. Cum enim defuncti corpus ex cisterna extraheretur, habuit pretiosissimum torquem aureum ad collum suum incisus et elaboratis characteribus splendidissimis qui hanc sententiam continebant: Antequam corpus hoc in aqua refrigesceret anima ejus jam fruebatur Deo. O divinæ misericordiæ sublimitatem! O veræ poenitentiae efficacitatem! Cujus operibus adeo depravatus homo tam cito volavit in cælum absque ullo igne purgatorio, honorante eum etiam Deo in hac vita, ut ejus mors felix judicaretur, si quidem ita fuit raptus antequam dæmon et mundus bona ejus proposita imminuerent aut mutarent. »

Denique, si alius fructus non esset, quam qui indicatur I. Jo. IV. *Si diligamus nos invicem, Deus in nobis manet, satis id foret. Uti et id quod de non diligentibus dicitur: Qui non diligit, manet in morte, I. Joa. III. et I. Joa. IV. Qui non diligit, non novit Deum: et post: Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* Quanta enim hæc tonitrua! Quanta fulmina! Ut ergo in nobis maneat Deus: ut maneamus in vita et non in morte: ut noscamus Deum: ut probemur et credamur diligere Deum, diligamus proximum, Certe sponsa, de qua initio diximus, ubi in cellam amoris vinariam introducta est, ubi sub vexillo amoris a Christo constituta est, mox præ amore viribus destituta exclamavit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Nos ergo quia et ipsi in Ecclesiam Christi introducti, et sub vexillo charitatis constituti sumus, impleamur dilectione, inebriemur amoris vino: ut ita demum floribus et malis æternæ felicitatis fulciamur ac stipemur.

CONCIO VI.

VARIA HOMINUM DE CHRISTO JUDICIA.

- I. Sentire videntur aliqui Christum non esse Deum. — II. Alii quasi non sit eorum Dominus. — III. Alii impotentem sentiunt. — IV. Alii inscium rerum nostrarum. — V. Alii non esse judicem nostrum. — VI. Alii eum esse tyrannum.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Matth. XXI.

Quid de Christo Domino sentire debeamus satis aperte docet Psalmus ille CIX. citatus ab ipso in hodierno evangelio. Sentire debemus eum esse vere Filium Dei, non hominis tantum;

quia ibi Deus Pater ita ipsum alloquitur: *Ex utero ante luciferum genui te: sentire debemus eum esse Dominum nostrum peculiari quodam titulo, quia ibi David vocat eum Dominum suum: Dixit Dominus Domino meo: sentire debemus esse assessorem SS. Trinitatis, qui omnia nostra acta norit semperque intueatur: quia ibidem ei Pater ait: Sede a dextris meis: sentire etiam debemus, esse potentissimum, cui nemo queat resistere, quia ibidem ei dicit Pater: Dominare in medio inimicorum tuorum: sentire debemus esse judicem nostrum, justissimum quidem; quia ibidem audimus: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum: sentire debemus esse sacerdotem summum, qui nos Deo conciliet, in gratiam recipiet, spirituali et corporali cibo pascet, nam ibid. ei dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nec dubito, auditores, quin et vos, si interrogemini: *Quid vobis videtur de Christo?* hoc totum responsuri sitis. Quod si tamen opera et conversationem hominum aspicere velimus, in multis alia omnia videbimus, ipsique longe aliter cogentur respondere. Inveniemus enim id, quod Isaac ait de filio suo: *Vox quidem vox Jacob est: manus autem manus sunt Esau, Gen. XXVII.* Vox quidem et professio christiana est, conversatio autem ethnica vel Judaica. Deprehendimus enim Christianos, qui se ita gerunt, ac si Christus nec Deus nec illorum Dominus esset, nec sciret eorum acta, nec potentia polleret; nec illorum judex, nec scelerum vindex, nec sacerdos foret. Quos proinde interrogare oportet: *Quid vobis videtur de Christo?* Aliud dicitis, aliud agitis: *Vox Jacob, manus Esau.* Cæterum quia nemo hoc fateri vult, ideo ad oculum demonstrandum est.*

I. Videntur aliqui sentire Christum nihilo plus esse quam hominem. Ita Pharisei in hodierno evangelio, filium enim David asserebant: sed Filium etiam Dei esse, hoc minime credebant. Quinetiam Christi personam vili admodum pendebant; aiunt enim Matth. XIII. *Nonne hic est filius fabri?* Nihilo melius de Christo sentire convincuntur illi Christiani, qui ss. eucharistiæ exigam aut nullam exhibent reverentiam; veluti cum ea in s. missa elevatur, vel ad ægros defertur, vel in templo præteritur. Hi enim si vere crederent Christum esse Deum verum, quomodo non in genua se curvarent, imò in faciem prosternerent? Certe si videres rusticum transire juxta regem, nulla exhibita reverentia, diceres quamprimum regem ab eo rustico minime agnoscere. Idem ergo de te dico, si prætereunte Christo in eucharistia videam te genua non

curvare, caput non aperire, Christum non adorare, sed vel fuga te proripere, vel in domum te subducere, vel immoto corpore stare. Quid tibi videtur de Christo? *Cujus filius est?* Num, fabricantum, et non Dei, qui ei in Ps. cit. dixit: *Ex utero ante luciferum genui te?* Nescis, quid Joannes, ep. I. c. IV. ait: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est?* Quis autem solvit Jesum, nisi qui humanitatem ejus separat a divinitate? Hoc autem facere censeris, cum præsentem non adoras. Sane Joannes Baptista, dicebat se etiam proeumbentem minime fore dignum, qui corrigiam calceamentorum ejus solveret; hic vir, inquam, talis ac tantus! Marci I. Quid nos igitur facere convenit? Sane confundet nos in judicio rex Babylonis qui teste Dan. c. XIV. ut Belum fictitium numen coleret: *Ibat per singulos dies adorare eum.*

Magis adhuc contempte de Christo sentire videntur nec plus quam fabri filium reputare qui sine omni metu sumunt eum polluto ore in communionem. Hi enim panem filiorum canibus obijciunt, adeoque faciunt pabulum canum ex pane angelorum, et fabrum ex Filio Dei canunt. D. Optatus Milevitanus scribit discerptos ac devoratos a canibus fuisse Donatistas hæreticos, qui s. eucharistiam canibus devorandum abjecerant. *Jusserunt (episcopi Donatistarum, Urbanus Formensis et Felix Idicrensis) eucharistiam canibus fundi, inquit Optatus, I. II. de schism. Donat. non sine signo divini judicii. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindicæ tamquam ignotos et inimicos laniaverunt.* Recte et juste: quia enim illi Dei Filium in eucharistia agnoscere noluerunt, ideo et ipsi a canibus suis agnoti non sunt: pabulum canum e Christo fecerunt, ideo et ipsi pabulum eorumdem facti sunt. Bene ergo D. Thomas et ex eo Ecclesia canit: *Ecce panis angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.*

II. Alii sic vivunt quasi Christus Dei Filius non sit ipsorum Dominus, nec ipsi ejus servi. Etenim servi imprimis dominum observant, sedenti assistunt et ministrant, prodeuntem in publicum comitantur, pene ambulando. At quam multos videre est, qui Christo in altare de cælo descendente etiam festis in diebus præsentem se non exhibent nec ministrant domino suo? Sane ideo sub elevatione signum dari, per campanam solet veteri instituto, ut omnes Christiani ea audito intelligant Christum Dominum suum eo momento de cælo in terram delapsum, sibi que tunc aliquo venerationis actu excipientem et quasi salutandum esse; ait enim apos-

tolus ad Hebr. I. Christo in terram iterum introducendo, mandari omnibus angelis: *Ut adorent eum.* Si ergo angeli, quanto magis homines adorare eum jubentur, cum iterum iterumque introducit in terram, consecratione sacerdotum? Quot etiam videmus, quibus molestum est comitari per plateam ven: sacramentum cum deferatur ad ægrotum, vel in publica processione circumfertur? Quis non videt aulicos magna contentione regem suum in publicum proditurum prævenire, magna patientia expectare, prodeuntem comitari omnique obsequio prosequi, quaversum eat? Nonne magnus ille rex David, servum Christi se fatetur in eic. psalmo: *Dixit Dominus Domino meo?* Et si hoc rex, quid nos infirmi?

Secundo, servi reverentur dominum suum, caventque in conspectu ejus indecore apparere aut indecens quid agere. Mirum quam hoc præcæteris observent Janizari, alique aulici Turcici imperatoris. Stant coram eo modestissime, oculis immotis, toto corpore ad reverentiam composito, ut statuae videri possint. Nullus ibi screatus, nulla vox, nulla oculorum evagatio, nulla commotio, toti in regem intenti sunt, nec minimum quid admittunt, quod offendere eum possit, uti refert Busbequius, in sua legatione Turcica. Quid hic dicamus de Christianis, qui in templo Deo suo impudicos oculos undique circumferunt? Qui de nugis et jocis fabulantur? Qui mentem interim habent in patinis, choreis, ludis? Qui de presentia Domini sui vix aliquando cogitant? Qui dorsum altari vertunt, etc? *Servus honorat dominum suum, inquit Deus, Mal. I. si ergo Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

Tertio, servi omnes suas operas domino impendunt et in ejus commodum referunt. Idem faciat Christianus, sicut docet b. apostol. I. Cor. X. dicens: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* At vero si quis suam gloriam, suum commodum, suum lucrum, non Dei gloriam, non reip. bonum, non justitiam quærat, quomodo se servum, Christum vero agnoscit Dominum suum?

Quarto, servi obediunt dominis suis. Qui ergo Christum confitentur, factis autem negant, convincuntur non habere eum pro Domino suo. Ita enim cum illis expostulat, Luc. VI. *Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Quidam semel appellant Dominum, qui corde solum credunt, nondum edere professionem publicam audent; alii bis appellant, qui corde credunt et voce confitentur, tamen adhuc operibus contradicunt; alii ter appellant, qui corde, voce et opere confitentur Christum Dominum suum.

Ita vir secundum cor Dei David, Ps. CXV. *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.* Dum ter se servum dicit, consequenter etiam Deum ter suum Dominum dicit. Quare o Christiane, si vita et moribus tuis Christo contradicas, aisne ipsum Dominum tuum? *Quid tibi videtur de Christo?* Nonne Christi vocabulum in opprobrium tibi et ipsi vertis? *Quid est dignitas in indigno,* inquit Salvianus, l. IV. de provid. nisi ornamentum in luto? *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra et fatua.* (Prov. XI.) *Et in nobis itaque christianum vocabulum quasi aureum decus est; quo si indigne utimur, sicut sues cum ornamento esse videamur.*

III. Alii videntur negare (aut certe dubitare) quod Christus omnia possit. Sic impii apud Job, c. XXII. *Dicebant Deo: Recede a nobis; et quasi nihil posset facere Omnipotens, existimabant eum.* Hujusmodi vero sunt. Primo, qui in periculo vel morbo constituti auxilium non a Christo sive Deo, sed a diabolo potius et ministris ejus, magis ariolis, veridicis requirunt. Si enim in civitate aliqua præstantissimus foret medicus, et cives, eo spreto, medelam ægritudinum quærent a carnifice, qui medicinæ artem affectans plurimos suis pharmacis necaret, summoque cum periculo mederi soleret, nonne hoc in medico cederet opprobrium? Nonne cives eum, quasi qui nil posset, contemnere censerentur?

Non procul ab his absunt, qui non quidem ad artes magicas, ad humana tamen præsidia prius se convertunt quam divina, neque hæc nisi illis omnibus frustra tentatis, rebusque jam plane desperatis censent advocanda; uti etiam qui Turcarum et ethnicorum opem contra hostes suos implorant. Fit enim sæpenumero ut vocati auxiliares insidiantur dominis, a quibus advocati sunt, si eis prævalere queant; uti contigit Græcis imperatoribus, a quibus Turcæ in auxilium acciti, imperium occidentis occuparunt. Rectius agunt ii, qui primum ad divina se conferunt præsidia, uti Constant. M. Theodosius aliique, qui idcirco felicissime pugnarunt, quia ut ait Hanani propheta ad regem Asa, II. Par. XVI. *Oculi Domini contemplantur super universam terram et præbent fortitudinem his, qui in corde perfecto credunt in eum.* Eodem pertinent, qui in ægritudine constituti ad Dei operam et salutaria sacramentorum remedia, non nisi valetudine pene desperata confugiunt. Idem sentire videntur, qui diffidunt Deo; quasi nequeat miro modo sustentare homines tempore gravis penuriæ. Impegit in hunc scopulum Moyses, vir alioquin Deo charissimus quando sic ad Deum locutus est: *Sexcenta millia peditum hujus populi sunt; et*

tu dicis: Dabo eis esum carniū mense integro. Numquid ovium et boum multitudo cædetur ut possit sufficere ad cibum? Vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? Num. XI. Idcirco ei ingressus terræ promissæ a morte præveniente ereptus est. Pejus adhuc de potentia Dei sensit dux quidam regis Samariæ, IV. Reg. VIII. Vaticinante enim Elisæo, in summa annonæ charitate brevi maximam fore frumenti utilitatem, excepit ille irridens: *Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri, quod loqueris?* Cui Elisæus: *Videbis oculis tuis, et inde non comedes.* Ita factum, dux enim ille ad urbis portam a turba compressus et conculcatus est in pœnam diffidentiae, et juxta sermonem prophetæ modius similæ vœniit statere uno, similiter duo modii hordei. Nimirum qui diffidunt Deo non parum ejus honori derogant et potentiae.

Eo denique pertinent hæretici, qui multa ab Ecclesia credita et ss. litteris contestata, imaginantur sibi esse impossibilia, uti transubstantiationem panis in corpus Christi, existentiam totius Christi in exigua hostia, etc. Rursum miracula innumera, quæ circa ven. sacramentum contigerunt et adhuc visuntur in multis locis. Quemadmodum enim discipuli Christi videntes Dominum ambulare super mare, dicebant: *Quia phantasma est,* Matth. XIV. ita etiam hæretici, cum vident vel audiunt in Ecclesia Christum patrasse hoc vel illud miraculum illico exclamant: *Phantasma, phantasma, figmentum, figmentum est.* Itaque demonstrant nihil ejusmodi Christum posse, quod naturæ vires superet. Quid vobis, o phantastæ; quid vobis videtur de Christo? Num phantasma e Christo cuditis?

Omnes has diffidentias redarguit vox Davidis in cit. psal. Christo applaudentis: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Si enim ipse solus in medio inimicorum suorum, dæmonum, Judæorum, paganorum, hæreticorum constitutus, omnibus dominatur, omnes sibi subjicit; quid ipse, quæso, non poterit? Quid non efficiet Samson iste, qui potentissimos quosque hostes simul sternere potest?

IV. Alii existimant Christum esse idiotam et inscium rerum omnium, quæ in terris geruntur. Ita enim loquuntur impii, Psal. LXXII. *Quomodo scit Deus? Et si est scientia in Excelso?* Et quidam apud Job, c. XXII. *Quid novit Deus? Et quasi per caliginem judicat,* Septuaginta legunt: *Quid novis fortis?* q. d. esto quidem, ille potens sit et fortis, scientiam tamen et cognitionem non habet eorum, quæ a nobis fiunt. Ita de Christo sentie-

bant improbi illi Nazareni, qui duxerunt eum in mortis supercilium, ut præcipitarent; existimantes absque dubio, hanc illorum machinationem et dolum ipsi occultum esse, Luc. IV. Verum oculatior ipsis Christus fuit, quando: *Transiens per medium illorum ibat.* Ejusdem opinionis erit Phariseus ille qui cogitabat: *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier hæc, quæ tangit eum,* Luc. VII. Verum mox ostendit Christum se et nosse mulierem et simul Pharisei cogitationem. Cæci igitur et stulti sunt, qui cæcum esse Christum putant et idcirco turpia quæque perpetrant: similes struthiocamelo, qui cum equite sit altior, non se videri existimat, si sub frondibus caput abdat, Pier. l. XXV. hier. Quia enim ipsi non vident Deum, ideo nec se videri ab eo censent, adeoque Deum æque ac cæcutire sentiunt. Stultæ huic opinioni sapienter respondet sancta illa Anna, I. Reg. II. *Quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.* Scientiarum Dominus vocatur, qui omnia absolute novit, quidquid uspiam fit, quidquid peccant doctissimi et astutissimi quique, theologi, philosophi, jurisconsulti, medici: omnes illorum scientias e fundamento callet. Ipsæ etiam cogitationes hominum ei præparantur, hoc est, proponuntur, in conspectum, velut principi ludi scenici in teatro ut eorum aspectu oculos oblectet. Cum ergo in corde tuo vindictam in adversarium coquis cum dolos et deceptiones meditaris, cum noxia consilia ad præcipitandum aliquem excogitas, cui, obsecro te, præparas istas cogitationes? Num tibi ut tu solus noris et aliis clam noceas? Erras bone vir: Deo illas præparas veluti spectaculum, ut in eo videat tuam improbitatem. Vatablus ait alios legere: *Et ipsi numerantur opera,* q. d. ab ipso numerantur, ponderantur et examinantur omnia mortalium opera. Quam igitur vesani sunt, qui in peccatis suis oculos quidem hominum fugiunt, sed Dei oculos non horrent! Qui sedet a dextris Dei, quomodo non videt et observat omnia nostra? De cælo ipse spectat comœdiam hujus mundi et omnes ejus personas eorumque actiones, ut suo tempore laudet vel vituperet.

V. Alii putant Christum vel non esse hominum judicem, vel non satis æquum, uti paulo ante ex Job audivimus dicentem: *Quid novit Deus, et quasi per caliginem judicat,* q. d. per nebulam et a longe intuetur nos; itaque falli et errare in judiciis suis potest. Quinam vero illi, qui seipsos ulcisci de inimicis volunt; hoc ipso enim videntur eripere gladium Christo judici, quasi parum ejus æquitari fidant, uti seipsos vindicent. Sane qui legitimo iudice neglecto

IV. PARS ESTIVALIS.

alienum eligit, censetur spernere judicem suum et famam ejus quasi iniqui denigrare. Atqui Deus: *Pater omne judicium dedit Filio,* Joan. V. cum ergo tibi in propria causa arrogas judicium, Christo judici tuo adimis, non sine gravi ejus contemptu. Hoc insinuare volens abbas Sisois cuidam fratri ultionem paranti dixit: *Deus, jam non es nobis necessarius ut pro nobis sollicitus sis et pro tuendo jure nostro: quia nos ipsi sicut frater iste dicit, et possumus et volumus vindicare.* Audiens hoc frater cecidit ad pedes ejus, ignovit et veniam petiit, in vitis pp. l. V. c. XVI.

Secundo, illi, qui cum vident invalescere improbos et prosperis uti successibus, adversus innocentes conturbantur et perverse de divina æquitate incipiunt sentire. Sed isti scire debent aliam esse providentiam humanam et politicam, quæ homines ad vitam et tranquillitatem temporalem dirigit, et aliam esse divinam et supremam, quæ totum humanum genus complectitur et ad vitam æternam ordinat. Ad illam pertinet coercere impios et defendere pios: ad hanc vero spectat permittere ut res omnes suis ferantur motibus, adeoque voluntas humanæ suæ relinquatur libertati, ac per consequens impiorum scelera et insolentiae, ut plurimum saltem tolerantur donec suo tempore fiat omnibus retributio. Hæc enim ratio providentiæ maxime commendat divinam benignitatem, quæ dum lente procedit ad vindictam expectat peccatores ad pœnitentiam. Commendat Dei sapientiam, qui si pro meritis flagitia omnia plecteret in hac vita, sicut facit providentia politica, brevi mundus foret exhaustus, non exerceerentur justii, nec aufererentur illorum coronæ, magni nimis penderentur hæc temporalia, ut quibus boni solum abundarent: nemo fere sponte et virtutis amore, sed coacte et formidine pœnæ honestum amplecteretur.

Tertio, illi, qui inique ferunt, et Deo obloquantur, cum causa justa et vera religio in prælio succumbit, ut justa Hebræorum causa, injustæ Benjamitarum, Judic. XX. S. Ludovici regis Franciæ juxta expeditio, injustæ Saracenum, apud Jud. Clichtonæum: Sebastiani Lusitanorum regis impiis Africanis, apud Natalem comitem, l. XXIX. quorum ille a Saracenis captus, postea in alia expeditione obiit; hic vero in Africa cæsus fuit. Verum hi considerent varias esse causas posse sinistri hujus successus. Quid enim si in justis etiam peccata aliqua plectantur? Quid si in reprobis aliqua eorum bona remunerentur? Quid si justorum nimia in propriis viribus confidentia puniatur? Quid si eorum temeritas et disciplinæ atque apparatus militaris

neglectus? Quid si justorum tepiditas in oratione et aliis piis operibus? Denique, etsi conatus impiorum ad tempus videtur eis ex voto succedere, id tamen non est diuturnum sed finem sortitur pessimum. Patet in Nabuchodonosore, Balthasare, Cyro, Xerxe, Alex. M. Romanis imperatoribus sub gentilismo. Quemadmodum enim pater, ubi virga castigavit filium, postea placatus et reconciliatus filio, iram suam convertit in virgam, eam confringendo vel in ignem mittendo: ita agit cum iniquis et tyrannis Deus quibus, ubi eorum interventu castigavit bonos, ad extremum severe irascitur, et perdit eos. Ita Deus, Ose. XX. post illatum supplicium sic loquitur: *Arcum, et gladium et bellum conteram de terra: et luculentius Isa. Væ X. Assur virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, ut diripiat prædam: et paulo post eam virgam se fracturum pollicetur: Et erit, inquit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assyriorum, etc.* Omnes hos redarguit psalmus a Christo in hodierno evangelio citatus. Ait enim inter alia de Christo: *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* (Hæc enim verba de Christo, non de Deo Patre, recte intelligit August.) Judicabit ergo Christus omnes nationes, et æquissime quidem, quia implebit ruinas, hoc est, quiddam distortum et iniquum fuit, faciet rectum et æquum, omnibus jus dicit et tribuet, quod cuique debetur; denique, confringet in die iræ suæ reges, et conteret superbos, qui nunc erecto incedunt capite, et premunt justos.

VI. Alii sibi persuadent, eum esse tyrannum, seu nimis austerum, de nobis nihil sollicitum. Ita apud Job, c. XXII. cit. subditur in persona illorum: *Nubes latibulum ejus nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat, q. d. suis commodis attendit, nihil curat nos.* Sic fere etiam, licet dubitative, locuti Christo discipuli sæviante maris tempestate: *Magister non ad te pertinet, quia perimus?* Marci IV. Nimis crasse servus ille piger apud Lucam, c. XII. qui talentum suum in terram fodit, aitque domino suo (Christum intellige): *Scio, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.* Sic respondent aliqui, cum urgentur ad servanda præcepta Ecclesiæ, v. g. ad solvendas decimas: Tollis, inquit, quod non seminasti: cum ad observandos dies festivos: Tollis nobis lucrum, quod possemus obtinere e labore et negotiatione nostra, tu vero non posuisti: cum ad ser-

vanda Ecclesiæ jejunia: Tollis nobis carnem, quæ exhaurietur, et enervabitur crebris illis jejuniis; alii cum discipulis illis dicunt: Perimus in paupertate, miseriis et peccatis nostris, et nihil ad te pertinet, nihil de nobis sollicitus es.

Vanam hanc persuasionem evertit, quod in psalmo cit. dicitur de Christo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Melchisedech revertenti de prælio et delassato Abrahamo obviam venit, panem et vinum primum Deo obtulit, deinde ipsi gustandum dedit, denique ei benedixit, Gen. XIV. Omnia hæc nos sperare a Christo possumus. Ipse enim fatigatis in prælio tentationum occurrere sua dulcedine et consolatione solet, uti ex vita S. Antonii scimus, quem superato cum dæmonibus certamine, miro gaudio replevit, et sensibili voce solatus est: ipse pro peccatis nostris obtulit Deo Patri corpus et sanguinem suum, offertque adhuc quotidie per manus sacerdotum: ipse etiam alit et sustentat nos non tantum pane et vino, seu cibo quotidiano, sed etiam pretioso corpore et sanguine suo: ipse denique, benedicit nobis dando gratiam suam et honorum omnium cumulum, tandemque post hanc vitam gloriam.

CONCIO VII.

CALUMNIÆ ALIQUOT HERETICORUM IN PONTIFICEM ET PONTIFICIOS REFUTANTUR.

I. Cavillantur calendarium novum. — II. Calumniantur prohiberi omnibus lectionem sacræ Scripturæ. — III. Calumniantur papam Joannem, ut aiunt, feminam. — IV. Calumniantur papam evacuare merita Christi. — V. Calumniantur subreptam sibi communionem sub utraque specie.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?
Matth. XXII.

Parum nimis responderunt Pharisei Christo ad interrogationem illam: *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?* Solam enim regis stirpis dignitatem quam, ut homo habuit, illi tribuerunt: divinæ vero generationis majestatem quam ex psalmo (a Christo in hodierno evangelio citato) discere poterant, tacuerunt. Nimirum invidia excæcaverat eos. Multo ad hæc contemptius respondebunt nobis Lutherani et Calvinistæ, si eos interrogaverimus, quid sentiant de Christi vicario, pontifice Romano. Quid enim, o novatores, vobis videtur de papa? Cujus

filii est? Prorumpent illico in vocem illam decantatissimam: *Filius perditionis est.* Volunt enim de ipso apostolum dixisse, quod de antichristo dixit, II. Thessal. II. *Homo peccati et filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, etc.* Mira res, auditores. Christus suo vicario ejusque successoribus dixit: *Tu es Petrus (seu petra) et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Isti vero dicunt: *Homo peccati est, filius perditionis est.* Hoc clamitant ex cancellis, hoc scriptitant in libris. Dicerent saltem, filium esse honestorum parentum, principem sæcularem, sacerdotem magnum, etc. sed invidia in pontificem longe alia tela jaculatur; calumnias nimirum: quarum aliquas nunc refellemus.

I. Cavillantur calendarium novum Gregorianum, a papa Gregorio XIII. introductum, et dicitant ab innovatis hisce factis omnia in pejor ruisse, neque anni tempora amplius terminos et sedes suas servare, neque solitam cœli temperiem vigere, neque consueta olim fertilitate terram mortalibus subvenire, sicque hoc prætextu, alios deterrent ab amplectendo calendario novo, simulque a religione veteri. Sed respondetur primo, eandem calumniam sustinuisse olim Christianos a gentilibus omnes istiusmodi clades Christianorum religioni adseribentibus, ut testatur Orig. in Matth. c. XXIV. tr. XXVIII. Tertull. apolog. c. XL. S. Cyprianus ad Demetrianum; Justinus martyr, q. CXXVI. ad orthodox. Arnobius, l. I. contra gentes; S. Augustinus in Psalm. LXXX. incendium quod Nero in urbe excitavit, Christianis imputatum fuit, qui propterea magno numero neci dati sunt, Baron. in annal. anno 65. Gnosticorum hæreticorum turpitudines cæteros Christianos exosos faciebant, ibidem anno 120. ingens pestis sub M. Aurelio et L. Vero Christianorum religioni adscribatur, ibid. anno 170. alia item lues sub Gallo et Volusiano, anno 256. terræ motus sub Maximino, ib. anno 237. Ex quibus etiam colligitur clades hujusmodi omni tempore in genus humanum desæviisse; falso igitur adscribuntur novo calendario. Secundo, si nos tam perniciosæ mutationis ob Gregorianum calendarium receptum causa sumus, par erat, ut ipsi veteris calendarii tam rigidi custodes ab his incommodis immunem vitam ducerent at hoc non fit; quia quales æstates et hiemes nos habemus, tales habent et ipsi; et grando, pruina, aurigo, rubigo, bruchus, eruca, locusta aliquando æque apud illos fruges terræ vastat, ac apud nos. Simili modo dicebant olim ethnici, Christianos diis suis ob veneratio-

nem Christi invisos esse, et causam præbere, cur tot calamitatibus mundum affligant, ideo in ultionem deorum suorum ethnici contra Christianos insurgent. In quos scribit Arnobius, lib. I. «Ergo, inquit, humana patrocina dii quærunt, et nisi vestra fuerint assertione protekti, idonei non sunt ipsi qui propulsare, defendere suas valeant contumelias; quinimo si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui, defendant seipsi: atque in ultionem majestatis offensæ, intestinas exerant, experianturque virtutes: » et mox: «Vobis secundas tribuant valetudines; adversas nobis ac pessimas. Opportunis imbribus vestra irrigent rura; pluviarum quæcumque sunt rores nostris ab agellulis abigant, lanitia curent vestra numerosis foetibus multiplicari, sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant. Ex olivis vestris atque vineis plenam faciant autumnitatem fundi: at ex nostris exprimi unum prohibeant palmites rorem. Ad extremum et ultimum, in ore vestro præcipitant suas fruges retinere naturam: at vero in nostro mel amarum fieri, olearum fluenta rancescere, et sub ipsis potum labris in acoris perfidiam vinum repente mutari. Quod cum minime fieri testificentur res ipsæ, neque minus ad nos quidquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis constet; libido quæ tanta est, inimicos atque hostes deos esse contendere Christianis: quos in rebus tristissimis atque lætis, nihil abs te videas ratione in aliqua discrepare. Si verum vobis permittitis, ac sine ullis assentationibus dici: Verba sunt hæc, verba sunt, res imo per calumnias credita, non cognitionis alicujus testimonio comprobata.»

Tertio, hujusmodi clades et persecutiones in Ecclesia semper fore; his enim crescit et conservatur Ecclesia. Unde S. Justinus martyr, in dial. cum Tryphone: «Quanto magis in nos sævitur, inquit, tanto plures pietatem fidemque per nomen Jesu profiteremur: haud secus, quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem fructuum: » et Tertull. l. ad Scapulam, c. V. «Nec deficiet hæc secta, (ait), quam tunc magis ædificari scias cum cædi videtur.»

Quarto, causam reformandi calendarii æquisimam et urgentissimam fuisse, quod ante Christophorum Clavium, viderunt etiam alii astronomi, uti Stoefflerus professor Tubingensis in suo calendario m. edito an. 1518. Etenim patres Concilii Nicæni, anno Domini 325. æquinoctio definiunt diem I. martii. Cum vero ab illo tempore effluerent plusquam mille anni, reperimus nostro sæculo retroactum fuisse æquinoctium usque ad 10. martii aut circiter, quia scilicet